Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2119
Quelle:
Copyright:



*nam ordinis Carthusiensis scriptus per fratrem eiusdem ordinis Anno domini. M. D. V. Ihesus* Mirabere, dicebam; si enim Codicem optime servatum pervolvas, altius illi aevum facile tribueris; ita Scriptor antiquiora Exempla dextre imitatus est, nobis cautioni, ne temere nimium de genio τῆς Γραφικῆς, Codicumque aetate pronunciemus.

## DCCCLXXVII.

U. 659 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 471. 8. min. per duas columnas minute, sed miro nitore perscriptus, auro et coloribus illustratus hanc notam praefert: *Joannes Buesus Hispanus Romanorum &c. Regiæ Majestatis* (Ferdinandi I.) *Capellanus et elemosinarius ex pietate huic* (ad D. Nicolaum) *Collegio dono dedit.* 1537. igitur consueta *Fabri* Ep. Formula praefixa, quae incipit: *Emptus est iste Liber* &c. non satis huc congruit. Continet vero Codex hic Preces canonicas, sive *Breviarium*, et quidem pro D. *Francisci* Familia, ut vel praemissum *Calendarium* docet, in quo praeter alia Ordinis Festa jam *Festum portiuncule* et *sacrorum stigmatum beati francisci* miniata visuntur. *Calendarium* excipiunt varia Praescripta de Officii ordinatione, etiam metrica, e quibus specimen deligo de legendis per decursum anni Libris biblicis:

*Adventus proprie uult sermones ysaye.*
*Post natale sacrum recitat sacra lectio paulum.*
*Quinque libri moysi tibi septuagesima missi.*
*Tu quoque mosaicos lege quadragesima libros.*
*Uult sibi scripta legi hyeremie passio christi.*
*Actus apostolicus sequitur post pasca legendus.*
*Hinc apocalypsim lege canonicasque uicissim.*
*Post pentecostem regum liber exit in hostem.*
*Inde per augustum sumit sapientia scutum.*
*Per totum mensem sapiens salomon tenet ensem.*
*Contat september iob tobia iuditb hester.*
*Octobri mense machabea trophea recense.*
*Ezechiel primo lege postremo danielem.*
*His lectis repetas bissex in fine prophetas.*

Sequitur Officium ipsum tam de Tempore, quam de Sanctis, cum Ritu sepeliendi, qui Precationes admodum pias, et dignas, quae in usum reducerentur, continet. Breviarium istud in *Italia* scriptum fuisse, docent *fol.* 466. p. 2. sequentia: *Queste sono sette interrogatione da fare alo infirmo chi more. secondo ch'ebbe sancto Anselmo. et si esso confessa queste cose cum la bocha e creda cum il cuore.*